

*Doc. 14 (Scriptum est eidem iustitiario
[Basilicate] etc. Fidelitati tue sub
pena viginti quinque unciarum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 14 (Scriptum est eidem iustitiario
[Basilicate] etc. Fidelitati tue sub
pena viginti quinque unciarum...)*

1278-09-22

Scriptum est eidem iustitiario (Basilicate) etc.

Fidelitati tue sub pena viginti quinque unciarum auri firmiter et expresse precipimus, quatenus statim receptis presentibus ad requisitionem Riccardi de Credulio piscarierii et familiaris nostri piscari facias in pantano Versentini et capi tantam quantitatem anguillarum, quam deferre possit currus unus a Versentino usque Venusium, que quidem quantitas anguillarum sit medietas de anguillis grossis et medietas de anguillis minutis, et in continenti quod anguillas ipsas habueris eas iuxta provisionem predicti Riccardi reponi facias in barrilibus cum aqua, et deferri in curru predicto usque Venusium et deinde barrilia ipsa deferri facias cum someriis conducendis per te de pecunia curie usque ad lacum Lacuspensulis, et postquam anguillas ipsas immitti et eici facies per ordinatum tuum una cum ipso Riccardo in dictum lacum barrilia ipsa cum quibus deferentur dicte anguille assignari facias per predictum ordinatum tuum castellano castri nostri Lacuspensilis, pro quibus curro et somareriis patronis ipsorum de quacumque pecunia curie que est vel erit per manus tuas, competens loerium largiaris. Recepturus de quantitate pecunie quam pro predictis omnibus dederis et recipi facturus de quantitate barrilium, quam predicto castellano feceris assignari, ad tui cautelam ydoneam apodixam, et rescripturus in continenti per litteras tuas magistris rationalibus etc. quantitatem totam pecunie, quam pro predictis omnibus solveris et quantitatem anguillarum tam magnarum quam parvarum, quam ad predictum lacum miseris, et quantitatem barrilium quam predicto castellano assignari feceris particulariter et distincte.

Datum apud Lacumpensilem die XXII septembris (VII
indictionis) 1278.